



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.42. Regis Luitprandi obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 744.

§. XLII.

Regis Luitprandi Obitus.

*Paul. Diac.
VI. hist.
c. ult.*

*Sup. Lib.
XL. §. 40.*

*Art. SS. Be.
to. 3. p. 517.*

Rex Luitprandus anno septingentesimo quadragesimo quarto naturæ concessit, priusquam effluxisset illud temporis spatium, quod ad pacta implenda præstituerat, postquam regnasset annis triginta & uno & septem mensibus, Princeps pius, castus, mitis, fortis, consilio acer, quamvis litterarum esset rudis. Sæpe orationi vacabat, & multas elemosynas largiebatur. In Regia Sacellum Salvatoris extruxit, constituitque Presbyteros & Clericos, qui sibi singulis diebus Officium Divinum decantarent; quod ante ipsum nullus Regum fecerat. In omnibus Civitatibus, in quibus morari solebat, Ecclesias ædificavit, & inter alias Ecclesiam S. Petri Cælo aureo prope Ticinum, item duo Monasteria, scilicet, Bercetense in Diocesi Parmensi in monte Bardone, qui Apennini pars est, & S. Anastasii Olonæ. Bercetense Monasterium exinde nomen Remigii nactum est ob Sancti hujus Reliquias a S. Morano seu Moderamno Episcopo Redonensi illo delatas; quippe hic Sanctus Episcopus, suscepto ad Urbem Romanam itinere, Rhemis diversatus, dono accepit aliquas partes de Stola, de Cilicio & Sudariolo S. Remigii, quas deinde reliquit
Mona-

Monasterio huic a Rege Luitprando sibi ^{Sæcul. VIII.}
 donato, ubi, postquam prius in Franciam ^{A. C. 744.}
 rediisset, & Successorem sibi ordinari cu-
 rasset, reliquos vitæ dies transegit. O-
 biit vero anno septingentesimo trige-
 simo.

Regis Luitprandi ætate Viri Sancti ^{Paul. c. ult.}
 tres in Longobardia degebant. Petrus
 Episcopus Ticinensis, qui cum esset Luit-
 prandi propinquus, aliquamdiu in exilio
 Spoleti, jubente Rege Ariperto agens,
 ibi in fundo suo Ecclesiam in honorem
 S. Sabini Episcopi & Martyris extruxit,
 quod sibi S. Martyr olim vaticinatus fuis-
 set, se Sedi Ticinensi postliminio resti-
 tuendum. Secundus Vir Sanctus fuit ^{Sup. Lib.}
 Baodolinus, qui miraculis & dono Pro- ^{VIII. 38.}
 phetiæ claruit. Tertius Theodelapius
 Veronensis iisdem Donis a Cælo præ-
 ditus.

Hic Paulus Diaconus suam Longo-
 bardorum Historiam finit. Luitprandi
 Successor fuit Hildebrandus ejus Nepos,
 qui sceptrum non ultra septem menses
 rotavit; quippe, cum Longobardorum
 odium incurrisset, ipso e throno dejecto
 Rachim Ducem Forojulensem elegerunt.
 Quod ubi Zacharias Pontifex comperit, ^{Anast. in}
 missis ad novum Regem legatis, preci- ^{Zach.}
 bus obtinuit, ut pacem ad annos viginti
 concederet.